

9

EXEMPLA ALIQVOT  
**H Y D R O P I C O R V M**  
MEDELAEQVE RATIONES

\*\*\*\*\*  
PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,  
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOL. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. OCTOBRIS MDCCCLXXXVII.  
DOCTORIS MEDICI HONORES  
RITE CAPESSVRVS  
PVBLICE EXPONET  
AVCTOR  
GOTTLOB GVILIELMVS SCHMEER,  
LAGOVIO - NEOMARCHICVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

EXEMPLAR ALTIQ[UE]  
HYDROPIGORVM

MEDICINAE RATIONIS

OPUS ANTONIUS JACOBUS DE CLOPPENBURGH

PHYSICI ET BOTANISTI FRATRI  
LUDVICO ET IOACHIMO  
CLOPPENBURGH  
MAGISTER MEDICINAE ET BOTANISTI  
ACADEMIAE BEROLINENSIS ET  
ACADEMIAE PETROPOLITANAE  
PROFESSORIS ET CONSULTORIS  
IMP. ET EDIT. IOACHIMI CLOPPENBURGH  
ET IACOBII CLOPPENBURGH  
IN BEROLINI  
MDCCLXVII

22. EDITIONE RECENSIS ET CORRIGIS

ET ADOPTIS IN PRACTICAM



## PROOEMIVM.

**N**on, vt edoceam lectores, sed, vt edocer a lectoribus, rectene egerim in medendo, commentariolum hunc academicum edo. Neque hoc omnino a veteri academiarum instituto alienum existimo: quippe quod ab iis, qui supremam doctorum dignitatem ambiant, eiusmodi adquisitorum in scientiis profectuum specimen exigit, in quo propria et priuata cuiuslibet candidati sollertia atque doctrina spectari debet, non aliena et velut extranea. Quod mea sint,  
quae

quae hic adfero, scriptionis tenuitas et nondum exercitati ingenii opera satis declarabit; quod autem veritati quoque sint consentanea, ingenua fide testor. Qui MONROI, BACHERII, MILMANNI, aliorumque nostra aetate virorum, qui cognoscendi curandique hydropsis rationes luculentissime sunt persecuti, scripta legerit; qui locupletissimum *Bacherianum* auctorum, eadern in matere versatorum, *indicem* recognouerit; qui insignem illum plus quam ducentarum dissertationum academicarum, idem argumentum tractantium, a solo HEFFTERO recensarum, numerum considerauerit: nae! ille vitio mihi non vertet, quod calamo temperaui meo, quo minus in describenda vniuersa hydropsis historia, aetiologya, semiotice, atque therapia, generatim singulatimque occuparetur. Post largas enim hoc in campo aliorum messes mihi, quippe omnium ultimo, nihil, nisi tenue rarumque superfuit spicilegium: quod vt aequi bonique consulatis benigniterque excipiatis, lectores, vehementer atque officiose rogo.

Histo-

## §. I.

*Historia hydroponica prima.*

**E**ques gregarius, quadraginta aliquot annorum, post febrim quartanam male tractatam, diaetamque incongruam, ascite laborabat. Ars futoria, quam paulo post debellatam febrim exercebat, cum situ corporis inclinato, abdomine compresso, vita sedentaria et potus defectu, ansam dederat nascenti huic malo, quod eum sexta post morbum febrilem hebdomade prehendit. Medicamenta a chirurgo primario legionis equestris praescripta, et paracentesis abdominalis sexies repetita, totiesque ad sex mensuras instituta, nihil effecerunt, et aqua, post perforationem abdominalis emissâ, elapsa vix octiduo, abdomen, ad pristinam magnitudinem recollecta, extendebat. Absente chirurgo primario aegri huius cura mihi demandabatur. Mirum in modum abdomen turgebat, et eductio illius collectae aquae, perforatione repetita, postero die instituenda, valde necessaria mihi videbatur. Sitis aegrum vehementer vexabat, et cereuisia hordeacea, qua vtebatur aeger, ad fallendarum illam parum aut nil efficiebat; vrinae excretio parca erat, et alui excretio mediocris indigestionem indicabat; pulsus erat magnus, vox et facies aegri bona, et vires nondum destructae, viscera, ut videbantur, adhuc integra. Post pastum largum abdomen magis tendebatur, et sitis eo magis

ae-

A 3.

aegrum vexabat, quo magis ipse a potu abstinere cogebatur, dum per vrinam excerni nihil eo tempore poterat. Medicamentis ab aliquo tempore non erat vsus. Suas meo potum in ore, leuandae sitis caufsa, tenuit, et hoc tam diu continuare iussus est, vsque dum aqua, abdominis perforatione, educeretur. Potus illi commendatus erat aqua pura cum pauxillo vini rubri, Pontac dicti, mixta; praeterea taleolos dissecti citri in ore teneri et succum illius expressum potui admisceri iussi. Fascia etiam abdomini circumducta resorptionem aquae stagnantis adiuuare tentabam, quae in postrema perforatione pellucida et clara fuerat. Atque hoc in accessionis meae initio dedi consilium; simul tamen permisi aegro, vt fasciam solueret, si post meum discessum asthmate cum vrinae suppressione forte corriperetur. Pommeridianis eiusdem diei horis laetus narrabat aeger, fasciae solutionem non necessariam fuisse, et potus retentionem in ore ad fallendam fitim satis fuisse. Urinae excretio sub his circumstantiis augebatur, et asthma minus affligebat aegrum. Appetitum habebat aeger cibos acido conditos comedendi; hinc iuscum ex aqua, pane, et vino rubro, cum succo citri et saccharo confectum, assumendum permisi. Hactenus dicta per noctem continuare iussus aeger, ne fascia, ob vrinae excretionem paullo magis relaxata, dehinc vero ob abdominis molem imminutam arctius adducta, ipsum grauaret. Postero die mane laetus inueni tumorem abdominis imminutum, vrinaeque excretionem ad measuras binas promotam; hinc audacior factus, aliquot haustus commendati potus

7

potus deglutiendos permisi: quos quoque sensim forbillando deglutiuit. Diaeta erat tenuis, viribus aegri accommodata, ex carne macra, pinguedine remota, cum raphani rusticani portione quadam cocta; simulque eitismodi carnem assitam, et succo citri pomisque coctis acidulatam, me suafore comedit. Fascia abdomini circumducta, sensim sensimque in arctius spatium adducta, vrinae se- et excretionem optime promovit. Die octauo, cum iam abdominis tumor prorsus evanisset, extracta amara, verbi caussa, trifolii fibrini, taraxaci, et cetera, in aqua menthae et liquore terrae foliatae tartari soluta, proportionata dosi porrexi; et his praemissis tandem extractum corticis peruviani cum salibus digestius mixtum adhibui. His factis aeger cum sanitate in gratiam redit, nullum morbi recursum deinde passus. Triennio post illum in seruitio militari occupatum, perfecteque inueni sanum.

§. II.  
*Epicrisis.*

Liceat mihi super hoc casu sequentia addere. Hydrops ascites, a debilitate vasorum lymphaticorum ortum dicens, medicamentis purgantibus crebro continuatis magis intenditur, et humores seroso-lymphatici hinc magis attrahuntur, sanguis his orbatus crassescit et spissior redditur; hinc quoque via, qua in abdominis cavitatem restagnet, ostenditur. Aqua, his vaporibus stagnantibus, adeoque in putredinem vergentibus, et ob aërem fixum euolutum nunc elasticis impregnata, penetrat fortassis in cavitatem

tem intestinorum; quippe muscularum abdominallium renis non tantus est, ut hunc euentum impeditre possit. Hac ratione lumbaris cisterna vna cum toto mesenterio premitur; resorptio humorum impeditur, eidemque tantus obex ponitur, ut lente succedat. Quibus ergo viis copia liquidorum potulentorum, ob irritantem fitim assumtorum, excerni potest? Si alioquin ad sanguinem perueniunt, in primis et secundis viis animali naturae assimilatae plerumque sunt, ut illi admisceri possint: quod si vero in primis et secundis viis haec vis deficiat, illis mutandis impendenda, vnde illam accipient; cum saliuia, ventriculi intestinorumque humores, et succus pancreaticus vel deficiunt, vel vitio laborant? Perforatio abdominis plerumque, ut remedium palliatium, consideratur; sed in huiusmodi exemplis aquae sat cita euacuatio, priusquam putrescere incipit, et debilitatem corporis inducit, prodest, efficitque, ut hoc modo medicamenta fortius et melius operentur, atque potus assumtus ad massam sanguineam facilius promoueatur. Si, hac operatione chirurgica finita, abdomen fasciis circumvoluitur, serum sanguinis, vaporibus resolutis rarefactum, non tanta vi affluere potest, quanta alias, debilitato et irritato per purgantia corpore, euenire solet. Tentari etiam haec circumvolutio secure potest, si hydrops ascites a sola debilitate ortum duxit, nec aliae eiusdem causae grauiores, ut scirrhosa diathesis, steatomata, et aliae causae eiusdem farinae, atque corruptiones adsunt. Necessaria etiam magis est fasciarum cita atque tempestiuia adplicatio, sicubi forte

forte corpus purgantibus debilitatum est, vt vaporebus irruentibus via praeludatur. Ceterum salutare ad haec est, cutim externam decocto hordeaceo vel perlato, vel simplici, vel vini portione quadam permixto, humectare, vt, strictis atque tensis integumentis externis denuo leuiter laxatis, transpiratio restituatur, solidisque partibus velut siccatis, musculis, glandulis, nervis, et vasis sanguiferis humores tenuiores perdit, a reparato omnium singulorumque expeditiori circuitu, reddantur. Porro de potu hydropicorum varia est disceptatio. In quibusdam hydropis speciebus necessarius est potus largus; quando nimirum excretiones non plane sunt suppressae, et tumoris hydropici indoles humores lentescentes et glutinosos indicat. In primis autem tunc potus attenuantes necessarii existimantur, si ex pulsu diathesis inflammatoria cognoscitur, et respiratio celebris est, sine pectoris vel abdominis hydrope. Praeter haec, vt paucis omnia complectar, in eiusmodi hydrope unica vel plures venae sectiones aliquando indicantur.

### §. III.

#### *Historia altera.*

Vxor rustici cuiusdam, sexaginta annos nata, ob vitam laboriosam corpore sat firmo et sanitate integra gaudebat. Cum vero vitae generi quietiori se dedisset, et diaeta larga lautaque nihilo minus veteretur, sine iusta sufficientique potus copia, excepto coffee decocto, nec imminuendae plethorae per venam sectam rationem haberet: factum est exinde,

B

vt



vt sudor et pruritus corporis alias consueti prorsus cessarent, et, ad haec excretionibus omnibus reliquis imminutis, sensim torpida euaderet aegra, habitumque facie et totius corporis cachecticum contraheret, superueniente demum oedematoso pedum tumore. Hebdomadibus aliquot praeterlapsis intercus aqua colligi coepit: vnde, ingrauescente in dies rumore, orta est insignis respirationis difficultas. His malis tandem se adiungebat verus ascites, quo in difficulti statu aegram meae curae traditam accepi. Pulsum deprehendi accedens durum, plenum, et lentum, fine febre; aegrotam vero mox per vices surgentem, mox lecto affixam. Symptoma maxime vrgens erat respiratio summe difficilis et anxia. Quam ob caussam venae sectio oxyus instituta leuamen protinus attulit; quod potus tenuis hoc die commendatus adhuc magis promouit. Postero die praescripsi tartarum emeticum, saccharo contritum, ea dosi et tempore cum diluentium iusta copia adhibendum, qua vim resoluentem satis abunde exercere posset. Sanguis, venaesectione emissus, post refrigerium crustam inflammatoriam, lentoris indicem, ostendebat. Biduo post tumor erat mollior, diuresis largior: qua propter tartari emetici, in aqua destillata soluti, cum acetо squillitico et syrupo de spina ceruina mixti, vsum, auctiore in dosi, ad augendas singulas excretiones audacter continuare aegrotam iussi. Tumore interim magis magisque euanescente, inter optimos excretionum successus, post octiduum morbo liberatae aegrae nihil amplius praescripsi, quam remedia roborantia; sub quorum vsu vires ci-  
to



to redierunt. Bis adhuc venam secari iussi, quarum ultima minorem crustae mucosae portionem in sanguine ostendebat. Ceterum semper a vena selectione leuamen perceptit haec aegra. Morbo liberata, plus, quam antea, bibens, et laboribus olim consuetis corpus suum liberaliter exercens, adhucdum sana viuit.

§. IV.

*Historia tertia.*

Mulier alia rustica, itidem sexaginaria, tribus abhinc mensibus lente succrescente hydrope anasarca laborabat, tandem in ascitem conuerso. Quum ego aduocatus accederem, deprehendi aegram in clauis domesticis laboribus occupatam, et, exceptis consuetis hydropis symptomatis, adhuc satis vegetam. Cutis tumore splendido erat extensa: ceteroquin ante morbi ingressum sana fuerat haec femina. Pulsus inueni minime febrilem, nec lentum, nec debilem tardumque. Quoad valetudine vfa erat prospera, potulentorum satis quotidie assumserat, et lotii quoque excretio potus assumti copiae rite respondebat. Nunc vero ex motus defectu, quem hydropis incommoda sua debant, vasa nonnihil flaccescere incipiebant. Haec ego obseruans, ordinavi tartarum emeticum, sufficienti aquae copia solutum, ea dosi adsumendum, vt singulae doses, grani quadrantem complexae, quauis hora per biduum propinarentur. Sex diebus elapsis, leuem inde promotam catharsin diuresis sequebatur; vnde ego commotus, singulis tantum ternis quaternisue horis prae-

cedentem tartari emetici dosin adsumi iussi, interposita simul potionē ex herba stipitibusque dulcamarae atque baccis iuniperi aqua decoctis composita. Praeter haec cereuisiam meraciorem pro potu commendauim. Omnis hinc inde tumor sexto die euauit et aegrota vires deperditas, adhibitis medicamentis roborantibus, breui tempore recuperauit, pristina sanitate in integrum restituta. Sub humorum lentore, aqua extra vasa aberrans, nisi morbi incrementum metuere velis, purgantibus minime attentari debet. Resorbentia vasa humorem lentum non excipiunt, nec aduehentes arteriolae eundem ad intestinorum canalem adducere valent; vnde inflammatio in eiusmodi exemplis, vt praecedens illud erat, ob stagnantium humorum tenacitatem, facile promouetur. Potus commendandus est tenuis, licet nonnihil meracus: contra spirituosa, motum sanguinis accelerantia, hinc exsiccantia, cane peius et angue vitanda sunt. Potus generosior, saturation magis cereuisia, et vinum Pontac, illis conueniunt, qui sanguine tenui, fluido, aquosoque gaudent, et quibus aqua, in cavitatibus stagnans, tenuis est, et qua ex causa a virium defectu hydrops plerumque ortum dicit. Palmam inter haec praeripiunt roborantia cum diureticis mixta, si prudenter et gradatim adhibentur, euacuantibus.

## §. V.

*Historia quarta.*

Mulier quaedam triginta aliquot annorum, magnum oedema pedum et lumborum cum aliquali abdo-

abdominis tumore contraxerat. Pulsus in hac erat debilis, toto ceteroqui corpore satis elastico et vi-ribus pollente. Quotiescumque interdum in conclavi ambulabat, toties pulsus arteriarum post lenem hunc motum viuacior euadere solebat. Haud raro ad haec phlogoses in facie, et sensatio plena doloris in osse coccygis et lumbis, mulierem hanc vexabant. Ordinaui potum ex decocto hordei perlati cum succi citri pauxillo, eiusdemque generis cibos, verbi caufsa, fructus horraeos acidos coctos, et quae sunt reliqua, mucilagine dulci, in acidum vergente, praedita. Interne vti iussa est extracto trifolii fibrini, a liquore terrae foliatae tartari soluto. Tumor erat mollis et splendidus, et excretio vrinae plane cessabat. Medicamenti dicti vsu per tres dies continuato, consului hoc super casu medicum in praxi versatissimum: cuius suasu aegrota infuso corticis peruviani et limaturaem martis vinoso vfa est, eiusdemque, omni quadrihorio, vasculum, theae potui alias accommodatum, exhausit. Effectus exspectationi optime respondit: quandoquidem tumor pedum minuebatur, diuresis augmentum capiebat, et post usum mensurae huius infusi secundae tumor omnis euanuit, excretionibus cunctis rite succendentibus. Breuiter! aegrota nunc gaudebat sanitate integra. Cum vero post triduum in transitu de huius feminae valetudine inquirerem, domesticorum cuncti oculis lacrymantibus mihi obuiam venerunt, nuntiantes: mulierem hanc in lecto inuentam mortuam; licet pridie vespertino tempore, nullis super sanitatem editis querelis, cubitum iuerit. Hoc nuntio territus quodammodo, sciscitabar: an

B 3

ipsa

ipsa fortassis in diaeta praescripta errauerit? cognati praesentes responderunt: mulierem mortuam pridie mensuram dimidiā vini adusti adsumfisse, et heri cubitum itura hoc iterasse. Ex hac relatione haud improbabilis conficitur coniectura: feminam hanc, in somno ab apoplexia correptam, fatis concessissimam suis.

### §. VI.

#### *Epicrisis.*

Hydrops omnes, a virium defectu oriundi, requirunt successuam illarum per roborantia restorationem: dum sensim in medendi methodo a medicamentis lenioribus ad fortiora progredimur; praeципue si ab haemorrhagia ortum duxit hic morbus. Hydrops, in cauitate abdominis, vel in vteri cauo obuenientes, a diathesi viscerum steatomatosa orti, difficilius vel prorsus non curantur. Obseruatur in eiusmodi aegris febris plerumque lentescens. In vtero hydrops, sacculis vel hydatidibus inclusus, saepe inaequales distensiones producit; a quibus intestinum rectum et vesica vrinaria premuntur, earumque partium excretiones impediuntur; orificium vteri sensim aliquando attenuatur, si hydatides segmento illius interiori incumbunt. Feliciter aliquando eiusmodi hydatides punctim perfodiuntur; vnde haud raro pressio intestini recti et vesicae, resistentia remota, cessat, atque excretiones restituuntur.

### §. VIII.

## §. VII.

*Historia quinta.*

Succedat nunc alia mulier, quatuor supra quadraginta annos nata, illo tempore iam nouem per menses catameniorum obstructionem passa. Vterus, sensim sensimque inde distentus, grauiditatem ad dimidiam consuetam periodum usque simulabat, et pressione sua versus intestinum rectum valde molesta aegrotae plurimum officiebat. Vrinae excretio successiue minuebatur, et sensatio dolorifica in ossis sacri locis binas has excretiones plurimum retardabat. Namque vrina tantum guttatum effluebat, et excretio alii nunquam sine positu corporis prono, in abdomen inclinante, ad haec pressione digitorum adiuta, eueniebat. His malis permota aegrota abstinuit prorsus ab esu ciborum solidorum omnium, solaque comeditione iuscularum tenuium vitam miserrimam sustentauit. Somniculosa quidem erat aegra, sed dolorum constans cruciatus vetuit, somni frui dulcedine. In hoc deplorato rerum statu, per nouem menses, haud interrupta serie, graduque atrocis morbi haud mutato persistente, febris lenta superueniens vires aegrotae adeo enormiter exauriebat, ut ipsum loquelae usum debilitas summa impeditret. Anxie interim saltem lenimen, si non auxilium, me rogabat aegra. Triste erat negotium, cum perpendarem, a nullo artis auxilio ipsam subleuatum iri. Rite ponderatis omnibus in eam incidi cogitationem, fortassis prior medicus, cuius curae se mandauerat aegra, errauerit? Facili enim errore existimari potuit,

in-

infantem et situm illius praeter naturalem causam esse huius mali. Inquirendo, et digitii ope explorando, inueniebam introitum intestini recti tam arcte compressum, ut maximo nisu opus fuerit ad resistentiam superandam. Cum vero haec resistentia molliore esset, quam ut infantem praesentem indicare posset: hydatides causam huius malae sensationis esse, protinus quidem iudicauit; sed sine apertione orificii vteri interni nullam curationis viam animo potui concipere, qua malum hoc depelleretur. Inunctionibus saltem et fomentationibus adhibitis tantum effeci, quantum potui, ut vesiculae istae destruerentur, et hoc facto vtraque, tam lotii, quam fecum aluinarium excretionis restitueretur. Quamuis catheteris adlicatione non amplius opus esset, digitum tamen, cuius ope qualitatem orificii vteri internam explorare adnitezbar, nondum extraxeram, cum satis distincte exitum effluvium aquae ex vtero sensi, immo, dum omnia accurate exploro, ope digitii varie moti, citra segmentum vteri inferius se offerebat apertura hydatidis, in qua aqua tam diu inclusa latuerat. Libere haec in vtero pendens nulla pressione comprimi poterat: hinc, quoniam pro diuerso corporis situ quaquaversum fluctuare potuerat, caussa quoque fuisse videtur difficultioris excretionis, tam lotii, quam fecum aluinarium. Reliquae hydatides ope syringae, tubulo adaptato instructae, perforatae sunt, eo successu, ut aqua stagnans omnis efflueret; quo facto adlicatione fasciarum conuenientium vteri contractionem naturalem promoui. Aqua effluens coloris erat ex flavo viridescentis, male olens, trium meusurarum quantitate.

titate. Mirum, quantum gauisa sit miserrima aegrota, quae post tam longam moram tandem aliquando poterat somno recreari dulcissimo. Expergefacta deinde omnia mala hactenus tolerata diserta oratione narrabat, et cibos nutrientes poscebat. Refocillabatur carne assata, cum pauxillo vini puri; quo hactenus aqua mixto subinde vsa erat. Quatuor dierum spatio opus fuit, anteaquam vires quomodocunque restaurari poterant: his vero praeterlapsis spes melior luculentiorque sanitatis integerrime recuperandae affulxit. Pulsus nunc erat liberior, animus hilarior, et excretiones statui sano conuenienter succedebant, somnoque fruebatur sat largo, vires restaurante. Iniectiones in uterum continuebantur ex decocto florium sambuci, chamomillae vulgaris et liquamine myrrhae; post cuius usum malus aquae effluentis foetor pedetentim tandem penitus cessauit. Postquam haec erant peracta, ipsa aegra, de sanitate integra nunc satis certa atque secura, sua sponte narravit: balneatorem quandam, quem vocari iusserat, herniosam ipsam declarasse, et herniae curandae caussa, ope bacilli linteis circumuoluti et vi intrusi, in loco affecto summos ipsi excitasse dolores. Post breue tempus, sanitatem optima gaudens, angina inflammatoria pessimi generis, quam cynanchen nominant, est correpta, ex cuius diris tormentis, deglutitione plane impedita, ob virium defectum, diem obiit supremum.

C.

§. VIII.

---

 §. VIII. *Epicrisis.*

Si aqua membranis inclusa deprehenditur, utilia esse solent medicamenta diuretica vi gaudentia. Si viscerum obstrunctiones aut infarctus in causa sunt, ope tartari emetici, et aliis eiusdem generis medicamentis, saepe feliciter resolutur. In his autem exemplis purgantia, si vasa resorbentia muco obducta sunt, plerumque ob debilitatem aegrorum inde ortam nocent, aut saltem ipsum hydropem non tollunt. Si humores arthritici vel venerei cum hydropis causis efficientibus complicantur, medicamentis, quae exposuimus, antihydropicis cum fructu adiungitur decoctum dulcamarae, vel eius extractum. Vegetable hoc saponatum americans dulce acrimoniam eximie minuit, eandemque inuoluit, inuertit, abstergit et excernit, et, dum in minimis vascula glandularum et viscerum penetrat, humores acres corrigit. Femina, per sex annos arthritidem perpessa, huius ope restituta est: vt ipse ex mea obseruatione noui. Eadem praestantissima dulcamara in cancrosis ulceribus faucium, condylomatibus, et maculis venereis, binos homines, itemque alias duo gonorrhaea maligna laborantes admirabili efficacitate adiuuit. Sed nimis diffusa foret oratio, et fortassis superuacanea, si haec omnia, quae dulcamara praestat, persequi vellent. Quandoquidem nuperi quidam medici doctissimis et inter hos ipse optimus PRAESES \*) peculiaribus com-

men-  
\*) In *Dissert. Solanum dulcamaram non esse exanthorandum*, defensa  
hic a D. KÜHN, 1779, itemque in adiecto *Programmate*

mentariis publice editis saluberrimos harum sibi  
effectus ex instituto luculenter descripsérunt. Praefer-  
tur inter alia dulcamara, si virium praestantiam spe-  
ctes, ipsi radici Senega, cui adsero et ego lubenter  
adplaudo, experientia edoctus. Sed huic disputa-  
tioni nunc finem impono: quae si lectoribus non  
displicerit, alio tempore, si deus vitam et vires  
concedet, obseruationes meas cum lectore bene-  
uolo communicare non intermittam.

### §. IX.

#### *Conseclaria quaedam disceptanda.*

Interim, ut sit disputandi facilior opportuni-  
tas, colligam hac ex dissertatione quaedam conse-  
claria, quae primo intuitu facillime in disceptatio-  
nem contentionemque venire possunt. Sunt autem  
sequentia. *Primo*, in nonnullis hydropticis vena non  
solum sine damno secari debet; *tum* iisdem larga diluentium potio rarius nocet,  
quam prodest; *porro* antimonia eximiam vim re-  
soluentem in hydrope praestant; *deinde* contra haud  
raro purgantia damnum inferunt; *tum* fasciae tu-  
moribus hydropticis circumiectae saepenumero ae-  
gros mirifice alleuant; *denique* paracentes in tempe-  
stive satis institui in hydrope oportet; *postremo* hy-  
dropis initii mature occurrere debet medicus, alias  
hic

*de Solani Dulcamarae σαλιγνούσαι Pliniana.* Dissertationem de-  
inde in vernaculam linguam conuertit et hinc inde auxit prae-  
dictus D. D. KÜHN, ediditque Wratislaviae 1785.

hic morbus facile euadit insanabilis. Rectissime enim  
iam olim cecinit, non vt vates, sed vt prudens per-  
spicaxque medicus:

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops.*

HORATIVS.




✓

01 A 6631

ULB Halle  
004 931 246

3







9  
**EXEMPLA ALIQUOT  
HYDROPICORVM  
MEDELAEQUE RATIONES**

PRAE SIDE

**PETRO IMMANVELE HARTMANNO,**

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
 PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
 FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
 SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
 MEDICI H. T. DECANO

D. OCTOBRIS MDCCCLXXXVII.

**DOCTORIS MEDICI HONORES**

**RITE CAPESSVRVS**

PVBLICE EXPONET

AVCTOR

**GOTTLOB GVILIELMVS SCHMEER,**

LAGOVIO - NEOMARCHICVS.




---

*TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.*

